

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0719

0717

0723

0713

0728

0708

0768

0668

0818

0618

0218

Ende

Anfang

146

(236 A) sic circuit, quaerens exitum, accipiunt sudes et acus, et eum pungunt et ad iram vehementem provocant; dum autem incensus inflatusque fuerit, omne venenum, alias per corpus diffusum, in caput et caudam recurrit, et acuto cultro vel rasoio ictu uno utrumque absinditur, et si solum una pars vel caput vel cauda amputata fuerit, media inutilis erit. Docta est haec bestia naturae industria retinere venena sua, et non nisi arte magna oportet eam circumveniri. Pro magno autem pretio venena illa venduntur, super aurum et lapides pretiosos. Haec duo singularia habet dominus Soldanus rex Aegypti in suis thesauris recondita, quae gignuntur in terra sua, scilicet balsamus et tyrus serpens. Ideo, sicut non intromittuntur peregrini in hortum balsami, nisi cum maximis cautelis, ut patet fol. 65. P. II., sic nec evagari licet ad maris mortui littora propter tyrum et propter gluten judaicum, quod etiam solum ibi est reperibile juxta littus.

Quinta ratio difficultatis est foetor et vapor malus de illo mari consurgens, quo homo non assuetus faciliter inficitur et infirmatur et moritur.

Sexta ratio est. Dicebant enim, nihil pulchri ibi esse, nec quidquam delectabile essemus visuri, sed habituri gravem laborem, expensas inutiles et timores multos. His et aliis difficultatibus auditis quidam peregrini retrocesserunt, dicentes se non velle, etiamsi eis pretium daretur, descendere. Alii vero his non obstantibus instabant pro deductione, et ita iterum divisi fuimus in duas partes, sicut superiorius contigit de peregrinatione Galilaeae et Nazareth, ut patet fol. 222 A. Major tamen pars peregrinorum petebant se duci, nec desistere volebant, etiamsi dominum Naydon, praefectum, petere pro licentia et salvo conductu deberent. His auditis Sabathytanco eodem die misit ad Ameth, praefectum in Bethlehem, Maurum animosum et fidelem, qui erat Arabibus confoederatus nec eos metuebat, adhortans, ut illa nocte cum XIV mulis aut asinis veniret de Bethlehem in Jerusalem ad montem Syon, et peregrinos duceret ad mare mortuum et reduceret pro pretio sibi statuendo. Nos vero disposuimus cibum ac potum pro duobus diebus et una nocte nobiscum ducendis per viam illam.

